ſeductus blandiminibus audiet vellicantem petulcum mundum ; qui non ſatagit forás citò eijcere dæmonium. Ut hic è corde eijciatur, & ille faſtidioſè peſſundetur; eſt præventa medicina. Quænam ergo? *Ego ſi exaltatus fuero à terra.* Exaltatur Chriſtus in cruce : exaltatur in ſacramento Euchariſtiæ, dum eius memoria colitur & præſentia celebratur : apponitur remedium, in mundi & diaboli damnum, dum oſtenditur ad populum : utriuſque & iurè fulminatur iudicium ; quoniam ſimulac videntur ſacramentales ſpecies, evaneſcunt in fumum & mundi & diaboli fraudes. Capta multorum corda, utriuſque veteratoris panurgià ; quippequàm audita crotala. Modò gemunt, quia in cautionem nota vafra calliditas ; & fauſtè eijciuntur forás: equidem cum Chriſtus auguſtum Euchariſtiæ ſacramentum (ne nocerentur) hominum inſtituiſſet alexipharmacum, palàm oſtenſa ac adorata Euchariſtià, traxit ad ſe devia corda : & ita amoris vinculis, dum ſedet in medio pectoris ; ut in illorum fraudem inſidioſam & vafritiem, non invenirent hoſtes niſi oblivionem. Ita cordium in utrumque tædia, ut illorum phantaſiæ delitiarum nec ulla memoria : & exprimente gemitu ; quantum doleat, ſi aliquando decepta à diabolo & mundo.

Audit mundū, qui à ſe non curat eijcere dæmonium.

In oblivionem Bacchanalium exponitur Sacramentum.

14 Hæc converſio ad gratiam, & veram ex cœleſti panem vitam ; quippe hominum utilitati, prædicta uti meditata divino, ingenioſo amore. *Convertam* (ait per Amos) *feſtivitates veſtras in luctum, & omnia cantica veſtra in planctum ::::. in die illa deficient virgines pulchræ, & adoleſcentes in ſiti.* Unde tanta converſio cordis, ut dies luctus & planctus, quæ impenſa feſtivè in choreis & canticis? Subeſt ratio. *Emittam famem in terram : non famem panis, neque ſitim aquæ ; ſed audiendi verbum Domini, & commovebuntur.* Patet modò in virtutem, eiuſque perfectionem illuſtris prophetia, quùm à fidelibus proteruntur Ethnica Bacchanalia. In *Paraphraſ.* Doctiſsimus Sanctius, infit ; *Indulſiſtis choris, ludiſque Gentilibus, ad idolorum aras.* Hęc erat fames cupiditatis & inſatiabilis ſitis : ſed mirè converſio facta, quippequàm in contrarium commota corda, quæ conſtruunt planctum & fletum, chorum feſtivum & canticum; ſiquidem meliori fame (non panis utcumque, ſed cœleſtis formæ, in aliena ſpecie) cognoſcunt in dementiam fuiſſe phantaſiæ illuſiones, quas mundus & dæmon exponebant in ludum feſtivitates. Olim fames & ſitis ludicrarum cupediarum titillabat punctim cor : modò ſimilis ſitis & fames, ſed audiendi verbum Dei ; quo fit è cœlo, pane excellenti mutatio : igitur divino verbo, mentis illuſæ face, rationis & gratiæ luce ; vident & audiunt homines, quę feſtiva, eſſe ludrica & vana ; mundi & diaboli crotala & tympana. Iam homines converſi elucent ad Deum, quia felicitatis fucatæ cognita fraus : ductique vi cognitionis in fruictionem ſolidæ felicitatis, deſpicientes embolia mundi ut oblita ; quia novo philtro Euchariſtia iam traxerat ad ſe corda. Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſsidet : ſi autem fortior eo ſupervenerit, & vicerit eum ; univerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Fortis auxilio mundi in homines infatuatos prævalebat aſtu dæmon, in curriculo fanatico Bacchanalium. Ni ille vinceretur & eijceretur forás, cunctis principaretur per phantaſticas illecebras, per vanitatem & inſanias falſas. Ut eijceretur è ſeducto ſiderato mundo, neceſſarius fortior eo. Venit, in Sacramento apparet, dæmonem vincit, mundi conſulens libertati, iacentis ſub ſervitute : unde cùm philtrum cordium Euchariſtiæ ſacramentum, quo dæmonem forás ad Orcum eiecit ; ecce totus *mundus poſt eum abit.* Iam longè Gentilium ludi, & chori Bacchi; cum deficiant virgines pulchræ, & adoleſcentes in ſiti, quorum cor in famen & ſitim auditionis verbi Dei : ſufficiturque luctus, oblitis iam priſcis feſtivitatibus; quippe tribuunt Euchariſtiæ ; quæ in mundo principe dæmone, ſacrificabant furori.

Amos. 8 à 10.

Verſ. 11

Sanct.

Quomodò nunc ab Euchariſtia, hominum tracta corda?

15 De auro idolorum (quæ Iacob ſepelivit ſub terebintho) Davidem deſtinaſſe templo ; diximus hic *Tautolog.* 5. n. 51. *Dederunt ei omnes Deos alienos, & inaures quæ erant in auribus eorum. At ille infodit ea ſubter terebinthum.* Hæc idola mundi, quæ uti aruli pendent à portantium aure ; ſunt mundi gaudia, reſonantia tamquàm tympana, per voces in pruritum captantia corda. Libera iam ſunt in cultum Deitatis, quæ pridem ſub iugo dæmonis, huius convertentia feſtivitatem, in auguſti Sacramenti venerationem, expulſo diabolo, calcatoque mundo : etenim non ſolùm huius idola ab aure pendentia, ſed etiam horum memoriæ in oblivionem ſepulta ; quoniam corda, ne vacillent Euchariſtia ad Chriſtum tracta.

Geneſ. 35. 4.

Vitiorū oblivio ex Sacramento.

Quæ

Quærenda nobis illa, illa vita perennis,
Quàm numquàm aſſequitur ; qui mundi
falſi doloſis
Se ſemel illecebris permiſerit irretiri.

Bocch. d. Symb. 133.

16 Diſcrimen inter Lybiæ accolas & Atlanticos populos, ineſt magnum erga Solis ortum. De illis, ait Munſter. lib. 6. *Geograph.* cap. 40. *Venerantur quidam eorum orientem Solem, occidentem diris imprecationibus inſectantur.* De his, *cap.* 44. *Solem tranſcendentem execrantur, eique omnia convitia ingerunt.* Conſule Raviſ. Textor. 7. *Officin.* cap. 48. In Bacchanalijs eiuſmodi obijcitur nota diſcriminis, inter homines amentes, & mentis compotes ; erga Solem Iuſtitiæ, orientem in Sacramento Euchariſtiæ, ut expungat tenebras mundi phrenetici & veteratoris diaboli : igitur recti corde ex præſentia quærunt gratiam, ægrè ferentes abſentiam ; & amentes illuſi, odientes lucem, & ambientes fraudem ; averſantur ex corde Solem orientem : unde videtur differentia cordium, per affectuum oppoſitorum effectum : ſiquidem cordati Solis præſentiam venerabundi celebrant ; dum illuſi illo præſente uſque in ludibrium delirant. Alij his in horis imitantur fontem Garamantum: de quo Geminianus, lib. 1. cap. 33. inquit: *Friget die, ardeſcit nocte.* Longè ſit à cordibus fidelium huiuſmodi hypocriſis, mutatione temporis. Sole in occaſu vel oriente (addicti Deo ſerviunt ei die ac nocte) Stultum eſt, *Quis nos videbit?* Cui nihil abſconditum, clarè videt : ſuntque myſtici Solis venerationis ſigna, ubi ex radijs præſentiæ, in nocte manet memoria. Perſiſtat noctù in corde Solis ſigillum, quod per diem glorioſè effulſerat ſuper brachium. *In ea quæ nobis adverſus corpus eſt lucta* (ait Gregor. Nazianzen. *Orat.* 16.) *à Deo numquam oculos deijciamus ; ut intelligamus, nos maximos & ſimul abiectiſſimos eſſe : terrenos & cœleſtes, caducos & immortales, lucis & ignis hæredes ; prout in hoc vel in illud nobis propendere contingat.* Ergo dum portamus hominis terreni imaginem, portemus ſemper ex Euchariſtia cœleſtem ; ut Deo ſervientes obſequioſè ex animo die ac nocte ; mereamur fieri conformes imaginis filij ſui : etenim qui per nos imbecilles non valemus ; victores exultamus eius gratià, & Euchariſtiæ præſentià. Raviſ. Textor, poſt *Dialog. Epigram.* 1. appoſitè canit:

Munſter.

Diſcrimē in his horis delirantium & prudētium.

Gemin.

Qui ſimul & quanto frigent & ardēt?

Gregor. Nazianz.

Seducit dæmon, ſtimulat caro, mundus
adurit:
Solus ego nequeo belligerare tribus.

Raviſ. Text.

DIDASCALIA VI.

Nec ulla res homini magis proderit, quàm cogitatio mortalitatis.

1 PRO ultimo argumento Didaſcaliarum, in animæ alexipharmacum, ultimum vitæ exponimus argumentum : igitur ubi in vita non vitæ meditatio ; non mortem ſed vitam mortuam, æterna ſequitur beatitudo. Hinc Sententia præfata à Seneca ſumpta, 3. de *Ira*, cap. 42. & Menander, in *Oedipp.* accinit : *Vel in iuventute reſpiciendum in ſenectam.* Congruit itaque animæ (ut tradit Iuvenal. *Satyr.* 10. v. 274.

Seneca.

Mendā.

——— Vox iuſti facunda Solonis,
Reſpicere ad longæ iuſsit ſpatia vitæ.

Iuvenal

Ex præſenti Tautologia conſtat ſana hæccine utiliſque doctrina. *Venit hora, & nunc eſt.* Nunc mortis felicia tempora ; ne ſit ſenſibilis, cùm mortis venerit hora. Antequàm veniat, debet venire cogitationi ; ni ęgrè feratur venire : etenim vitæ quæ inimica cogitata ; ſi nunc, quæ ventura, venit, recipitur uti amica. Pende quæ leguntur in libell. *Carmin. ſacra.* ubi in mortis meditatione iſthæc, ut altè ſedeant, ſcripta.

Ioan. 4. 23.

Nō mors in morte pridem meditata à mente.

Quid veſane tumes, & vano turgide faſtu,
Quæ ſupra te ſunt, quęque negata ſapis?
Falleris, in cinerem priùs hinc ſolvaris
oportet,
Quàm te ſidereà ſiſtat in arce Deus.
In tumulum deſcende priùs, terræque remiſto
Diſce pati vermes corpore, diſce mori.
Mors : melior ſurges, & qui nunc corpore
terra
Mortuus es, diſces vivere mente Deo.
Si cœlum ſperas, laudo pia vota ; ſed illuc
Gloria non fallax ambitione trahit.

Sacr Carm.

2 *Hebræi* (inquit Novarin. *Schediaſm. ſacr.* lib. 1. cap. 15. n. 81.) *ſuper cadaver collocabant lucernam & vas cinere plenum.* Nobile utique ſpeculum ac ſymbolum didaſcalium. Si adinſtar lucernæ fulget, quid ubi flatu evaneſcit? Cinis prorſus nitens vitalis halitus ; equidem flebiliter vertitur & convertitur in cinerem ; quicquid ampliorem conciliavit ſplendorem. Si vita quaſi lux eſt, & in morte iam non lux, quoniam extinguitur ; neceſſarium, quòd vita finita corpus in cinerem redigatur. Ubi mors eſt, flamma deficit ; & in feretro ſtudiò collocatur cinis & flamma ; ut mors futura, præſens conſideretur in vita : vita enim, ut exitus ſit

Novarin.

In funere cur appoſita lucerna, & cinis?

vi-

vitalis, inſumenda profectò in cogitationem mortis, moriendo per mortis contemplationem; priuſquàm corpus in quo flamma reducatur in cinerem. *Tolle adverſarium, affige inimicum, feſtina tempus, & memento finis, ut enarrent mirabilia tua:* inquit Siracides. Signatur commoda cogitationis mortis: igitur onus graviſsimum mortis non eſt onus; ſi ad mortem feſtinat tempus: non enim eſt finis in meta vitalis conſummationis, ubi ante conſummationem vitæ cogitatur finis: attingit quippe à fine uſque ad finem, qui ante finem finis per cogitatam mortem habuerit conſummationem. Modum ſignat Bernard. de *Cognition. human. condition.* cap. 1. n. 1. *Ibi* (infit) *memoria, intelligentia, voluntas. Per memoriam reminiſcor, per intelligentiam intueor, per voluntatem amplector.* Mors recipit amara, ſi amaritudinem fugit intelligentia: at uti ſuavem voluntas veniendo amplectitur; modò feſtinato tempore, futuræ reminiſcatur: etenim nanciſcitur memoria felicitatem, dum finis amaritudinem converterit in dulcedinem. Sic potentiarum rationalium opera, ut *enarrent mirabilia* tua: ſiquidem mirabile; ut vivas moriens, qui vivendo moriebaris.

Eccl. 32 à 9.

Rationalibus potentijs conſiderando hora mortis.

Bernard.

Deliberandum eſt diù, quod ſtatuendum ſemel.

P. Syr. *Mim.* v. 159.

3 Felicem habet exitum, qui ſeſe cogitat ſine ſepulchro mortuum. Unde Stoicus, *Epiſt.* 78. inquit: *Tria hæc in omni morbo gravia ſunt: metus mortis, dolor corporis, intermiſsio voluptatum. Nihil triſte eſt, cùm huius metum effugimus. Eſt, mihi crede, virtuti etiam in lectulo locus.* Eſt profectò, ubi cogitatio lectulum repræſentat ut ſepulchrum, quo nec dolor corporis, nec remiſsio voluptatis ex recordatione mortis. Nihil in mœrore occurrit triſte: quandoquidem cum mortis memoria, ante ipſam moriuntur vitia: tollitur adverſarius & ſimul affligitur inimicus. Virus inter ſerpentes præſentius, quod vomit coluber Indicus. Unde, hæccine beſtia & dicitur *Fatua* & ſimul *ſerpentium domina: at linteo convoluta* (refert Lynceus, in *Theſaur. rer. medicar. nov. orbis*, lib. 9. cap. 17.) *quantum velis, tenui raroque, ita torpeſcit illa feritas; ut à puero deferri quolibet citra noxam poſsit. Si aliquis veneno tactus; excogitatum eſt, humare membra, terraque obruere: & ita ſinere, donec omninò ceſſet dolor, & morbus curetur.* Præ ſe fertur in huiuſmodi ſerpente ſenſus noſtri appetituſque virus; quo prævalet in nos dæmon inimicus adverſarius, cadentes in meditatam perniciem, propter ſenſuum fatuitatem, incumbentium vafris undique delicijs; quia non cognoſcitur ſerpens. Unde affligetur inimicus, & angetur adverſarius? Non erit præſtātis veneni læſio, ſi convolvitur linteo. Hiſpanicè: *Mortaja*, albà togà, ferali amiculo: equidem quamvis illecebrarum cupiditas urgeat, uti ſerpens appetitus toxica vomat; tollitur diabolus, quia in ſerpente non eſt virus. Ubi enim lintei atque mortis cogitatio; ad ſenſibilia manent ſenſus ſine ſenſu. Sæpe homo per crimen laborat infirmitate, morſus à fatua, virulenta ſerpente. Non eſt medicina? Et prompta, nimirùm, humare membra, terra obruere, intra pulverem abſcondere: ceſſat enim morbi labor, veneni dolor, torpeſcit ſerpentis feritas, reditque in valetudinem ſanitas; ut diſcat homo, quanti momenti mortis inſidiantis meditatio: igitur moriuntur viitia ante mortem (vel in criminum occaſione) fugit crimen, & præmittuntur in cuncta ſcelera alexipharmaca, modò homo ad mortem ſepeliatur in vita. *Viperam ferunt* (narrat Raviſ. Textor, 7. *Officin.* cap. 40. *in cinerem delapſam mederi ſuo morſui.* Serpens peccati momordit, animam delinquentis confecit? Erunt ſanè vulnera medicina, mortis memoria. Nec ſignum vulneris ex contemplatione cineris; equidem ſiccine nobiliſsimum pancreſtum, ut tutò procedatur etiam ſuper baſiliſcum.

Seneca.

Ex mortis memoria, ante ipſam moriuntur vitia

Conditio ſerpentis Fatuæ.

Lync.

Ubi mortis recordatio, ſepſitiva ſine ſenſu.

Textor.

Criminum remedia, ſepeliri in vita.

4 Dixit Pſalmograpus: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis;* nec accedet ad te malum. Diximus de aſpide; quomodò ergo ſine malo virulentia baſiliſci, qui ante venena nocet? *Hominem* (inquit Plin. lib. 29. cap. 4.) *vel ſi aſpiciat tantùm, dicitur interimere.* Referunt nonnulli (pene quos fides) virus ex aſpectu baſiliſci, illi immittenti virus eſſe; ſi priùs aſpiciatur ab homine: at hominem viſu interimet, ſi primùm viderit. Idem *lib.* 8. *cap.* 22. dicit de hominis voce, preoccupata aſpectu lupi. Egimus, *Tautolog.* 2. *D.* 5. *n.* 3. Sit igitur in utilem tropologiam, quàm ridemus uti fabulam. In Baſiliſco obijcitur mors, atque repentè; quia in ictu oculi. Cavendum utiquè, ne noceat adveniens mors, quando veniat; ſed ipſa quin ſentiat in lumine fulmen, cadat. Baſiliſcus ſi prius videtur, impetè rumpitur: perit homo, modò priùs videatur à Baſiliſco. Viſio præventio eſt, ut valeat, vel cadat mors. Videt prius homo, ſi venturam advenientem contemplatur: moritur, ſi priuſquàm videat, quaſi à Baſiliſco videtur. Occurſus aliquando eſt neceſſarius: eritque felix è vita ſine diſcrimine exitus;

Pſ 90. 13.

Plin.

Cur cogitatio mortis baſiliſco confertur.

Mors meditata non mori.

itus; quippequàm vitæ in morte nullum diſcrimen, modò præmeditatione moriens prævenerit mortem. Non enim vulnere nocuit, quia illam priùs qui mortalis vidit; ut ſuper Baſiliſcum incolumis ambularet. Virtute præcognitionis,

Reguli viſus hebetavit acres.

Crucius hic.

5 Mors, ni priùs videatur, uti inſidioſa à percuſſo non cognoſcitur; cùm eius acuta falx *ſecus introitum delectationis poſita* ſit, ut inquit N. Patriarcha, *Regul. S.* cap. 7. grad. 1. Unde *cap.* 4. præmittit: *Mortem quotidiè ante oculos ſuſpectam habere.* Suſpectam, ut ſuſpicioſam: igitur à prudente cavetur, ne videat, priuſquàm videatur: quare cognitio neceſſaria, ne incogitatò prævaleſcat virulentia: non enim priùs videtur, ſi non prænoſcitur; & quantum vita ſub larva noceat, modò ſubitò appareat. *Quicquid expectatum eſt diù, levius accidit*: ſubdit Stoicus, *Epiſt.* 79. & de *Tranquill.* cap. 11. *Qui ſcit, hoc ſibi, cùm conciperetur, ſtatim condictum; vivet ad formulam, & ſimul illud quoque eodem animi robore præſtabit; ne quid quæ eveniunt, ſubitum ſit. Moleſtum eſt, mortem ante oculos habere.* Idem, *Epiſt.* 12. Ad primum aſpectum horret. Quia illam ſerò cognoſcit, ſeſe neſcit, & ad illam ſuſcipiendam (ne moriatur, dum moritur) nec ſe diſponit (odiendo, etſi ſerò, vitia; damnando ſcelera contritione cordis, percuſsione pectoris) qui præ timore neſcit, quòd oporteat præſens eſſe ante tribunal Chriſti. Subitum totum, & mortem ante oculos habere moleſtum; quippe mors prævalet infirmitate, cùm prævìſa à moriente debebat mori. *Orate, ut non fiat fuga veſtra in hyeme vel ſabbato*; quibus iter haud conficitur ad placitum vel in preſſura, quùm ſit fuga neceſſaria: profectòque animæ grave, in exitum propulſari nec poſſe pedem movere. Exit vincens, ut vincat, qui mortem, non quùm venit, ſed venientem cogitat: equidem ſi dum cogitatur, vincitur; qui moriens nequaquàm mortem in articulo vinceret, ni priùs in victoriam ſe vincendum cogitaret. *Ego vici mundum*: dixit aſſeclis Ieſus. *In mundo preſſuram* habebitis; ſed confidite, ut quemadmodùm ego feci, ita & vos faciatis. Vicit in cruce: & ante crucem inſigne monſtrat trophæi; quoniam eius victoria occurrebat, qui ut in conflictu vinceret, ante conflictum ſtudiosè vicerat. Sciens omnia quæ ventura erant ſuper ſe, proceſsit.

S. Benedict.

Senec.

Eius meditatio viventis commodo.

Matth. 24. 20.

Apoc. 6. 2.

Ioan. 16. 33.

Non timuit mori.

Stat. 2. *Silv.* 1. v. 222.

Mortis tæduit, ſed mori non timuit. Mors fuit uti regulus. Illam moriens vidit priùs: & cùm prævìſa moriatur, quia virus ab illa bibitur; per meditatum certamen, venientem ut triumpharet, devicit mortem. Hinc dixerat per ſacrum Vatem: *Ero mors tua, ò mors!* Mors mortis moriens ſaucius in patibulo crucis: etenim mors inſtar Baſiliſci abſorpta in victoria iacuit; quoniam priùs, antequàm adveniret victor aſpexit.

Et mors mortis.

Oſee 13. 14.

Fracta mors horrida.

Mors refugit illum, victa quæ in regno ſuo
Semel eſt. Non audent fata tam vaſtum nefas:
Et mors fata noviſsima
In ſe conſtituit ſibi.

Senec. in *Hercul. Oet.* v. 764. 1115. & 1945

6 *In capite Iovis inſculptæ Horæ & Parcæ: os ex auro, reliqua ex fictili materia:* ait Natal. Comes, 7. *Mytholog.* cap. 16. Idem Pauſan. *cap.* 38. Tota machina pulvere conſtabat, ut homo ſaperet ex ingenioſa ſtructura, ſocijs Horis & Parcis: igitur ad permanentiam, baſis tantæ molis extruitur ex terra; quippe Parcarum ignoratur hora. *Dic dormituro* (monet Stoicus, *Epiſt.* 49.) *potes non expergiſci. Dic experrecto: Potes non dormire amplius. Dic exeunti: Potes non reverti. Dic redeunti: Potes non exire.* Os aureum, & ſimul Parca quia naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet) micat fulcro fragili terræ, ut mori diſcamus, quandiù vivimus in corpore: igitur ut in exitu adinſtar auri ſit mors pretioſa; congruit, quòd erecta iaceat in pulvere vita. Diximus ex nonnullis, *Tom.* 7. *T.* 7. *n.* 9. ſolemne fuiſſe Ethnicis in defunctorum iuſtis, capillos evellere, ſecare atque in illorum monumenta proijcere. Si capilli ſignant humanas cogitationes, benè ſita cæſaries: ſiquidem vel corda prava fugient ſcelera, modò cogitationes locentur in ſepultura. Mira finguntur à Poetis de Upupa Indica, quæ ab Athenienſibus de Alauda, ut ait Ælian. 16. de *Hiſtor. Animal.* cap. 5. Nonnulli retorquent fabulam in columbam, cuius cantus lugubris è pectore gemitus, & etiam habet in capite Alaudæ pulchrum inſigne,

Natal. Com.

Iovis imago.

Mortis incertitudo.

Senec.

Cur in ſepulchris capilli pro iecti?

Stante in vertice criſtà.

Ovid.

Uti accinit Ovid. 6. *Metam.* fab. 7. *Indorum Rex amores & delicias ſuas illam facit. Hanc manibus geſtat* (ſubdit Ælian.) *eà ſe oblectat & nativam eius venuſtatem ſummà admiratione frequenter intuens, magnam inde lætitiam voluptatemque capit.* Haud ſecùs floret columba, cuius pennæ deargentatæ, & poſteriora eius auri pallore, multicolor, diſcolor, verſicolor, numquàm ipſa, ſemper alia: & ſi ſemper ipſa quando alia; toties denique mutanda, quoties movenda. Utraque ſpecioſa; ſed lugubris, ut patet tenore mœſtiſsimæ vocis. Unde Pier. Valerian. *lib.* 25. *cap.* 36. vocat *querulam volucrem, lugubrem atque luctuoſam; quæ nihil umquàm niſi mæſtum & triſte meditatur.* Obijcitur ſpeculum multarum in ſæculo fœminarum, cœleſtem foventium ſpiritum, quæ incedunt divite cultu pro-

Ælian.

Conditio Alaudæ & Columbæ.

Pier. Valer.

Sæpe carnis mortificatio, vel cum ſplendore veſtis.

pter ſtatum; ſed cor longè : etenim pulcherrimæ, venuſtæ exteriùs veſtis aureæ & argenti ſplendore; interiùs myſticæ Alaudæ meditantur ut columbæ. Voluntariè cum ſpeculo Ieſu dedicant formâ præſtantiore ſpeciem; non ut Lais propter cadentem, atque efſloridam ætatem.

Auſon. Epigr. 54.

At mihi nullus in hoc uſus: quia cernere talem
Qualis ſum, nolo: qualis eram, nequeo:

7 Ergo in Didaſcaliæ ſcopum. Ante Alaudæ metamorphoſim, erat hæc (ſubdit Ælian. ex quo etiam Cauſſinus, 3. *Symbol.* 38.) *Regis Indorum filius minimus natu, quem fratres cæteri maiores cùm eſſent improbi & planè iniqui; propter ætatem contempſerunt. Cùm verò parentes quoque iam ſenectute graves contumelioſè ab eis tractarentur; ut improbitatem eorum declinarent, cum filio minimo diſcedunt ac fugiunt, & laboribus in itinere conſumpti, moriuntur. Defunctos filius in ſui capitis vulnere, quod enſe ſibi infixerat; ſepelit. Inſignem hanc eius pietatem conſpicatus admiratuſque Sol; puerum in avem formoſam admodum & vivacem convertit, criſtam ſupra caput eius erectam intulit, de ſepultis ab eo parentibus, eadem in parte glorioſi facinoris monumentum.* Fabula, ſeu verum canitur? Fabula quæ reflectetur ad verum; ut conſtet in hominibus, unde probitas morum: equidem ad formulam legum & ad unguem vita exacta; dum cognitioni ſedent mortis ſpolia. In capite cognitio eſt: illecebræ voluptatum inſidioſè alliciunt cor: in capiteque ſtudioſè ſepeliuntur, quæ delicatiùs amantur; ne quæ tranſitoria amentur: etenim haud vota ſurripient cordis, ſi cognoſcuntur cuncta futura cinis. Apponitur medicamen, ut noſcant ſeducti delectabilium vafritiem; quæ quidem non ſolùm vellicatione titillant, ſed mentem philtro nugaciſsimè infatuant: præſenſque amuletum in fraudum exhibetur cognitionem; quippe prodeſt, in capite habere pulverem, atque prævidere finem, ne mors officiat, ſi veniat: igitur in morte glorioſè vivet, qui meditatur illam, antequàm venerit. Fato functi, quia pulvis, & etiam in pulverem redigendi, ſepeliuntur in humo; & ſimul mortalitatis recordatio. Sepulti in terra haud viventibus proſunt: & ut proſint in capite ſepeliuntur, ut non ſit ſepultura, ſed defectionis conditione corruptibili memoria. Veniet nobis quod contigit illis: monumentumque ſit capitis ut recordatio pungat in cognitionem, homoque vivat iuxta fulminatam legem: quandoquidem nil magis animæ prodeſt in obſervantiam legis; quam in capite habere memoriam mortis. Duces Alexandri vel in itinere, ad certamina pulverem ſecum ferebant: ait idem 9. *Var. Hiſtor.* cap. 3. Sanè omnium noſtrum mortis certamen futurum; quippe procedimus & ſenſim in monumentum. Quicquid habet ortum, finem habet, finem timet; ſed ſe videbit vel cadentem victorem, ſi ſecum memoriâ tulerit cadaveris in certamine pulverem. Lacedæmonum mos, ſcutum non deſerere vel in morte; quia cum clypeo dato in defenſionem vitæ, tradebantur ſepulturæ. Unde illud: *Aut cum hoc, aut in hoc.* Adi Servium in 11. *Æneid.* v. 163. In vita conceditur & in morte non dimittitur: intuitu nobis altiore, quàm militibus credebatur Spartæ: equidem haud validius ſcutum ad mortis exitum; quàm habuiſſe in vita lethi memoriam, tamquàm ſcutum.

Ælian.

Alaudæ metamorphoſis.

Quare in ſummitate capitis imponitur pulvis?

Idem.

Athletæ ſecum ferebant pulverē in certamen.

Mortis cōſideratio, ad mortem pro ſcuto.

8 Habemus, quotanniſque fit memoria; ſed infatuatis ſæculo, dumtaxat fit apparentia. Pulvere conſpergitur caput, ut homines ſeſe pulverem etiam viventes cognoſcant; & pulverem in ſignaculum accipiunt, ut hominibus appareant. Sæpe dixi ex Plin. *lib.* 31. *cap.* 2. in Bœotia duos fuiſſe fontes, quorum alter memoriam, alter oblivionem afferat. Patet in hominis conditione (quæ nec recordata finis ſui) perturbato ordine fontium, dum utriuſque pervertitur utile officium: equidem incognito damno, vitæ in homine excitatur memoria, mortis oblivio; quo magis cognitio pulveris fallit, dum ſe pulverem cognoſcit. Recordatur, obliviſcitur; & de cinere fatuè ac ſtultè gloriatur; quia non ſumit ut cognoſcat, ſed ut appareat. Haud paradoxum. Pulveris recordatur, ut meditetur, quanta gloria ſit in pulvere ſita: verùm obliviſcitur, ſuffocans illecebris mentem; totam gloriam eſſe pulverem: ac in pulſationem utilis reſipiſcentiæ, mortem triumphantem inter titulos ludere. Delirat habens in gloriam, cōditionis ignominiam, quæ ſociat in odium vanitatis reſipiſcentiam. Placet, cuius erubeſcere debet; minimè in cognitionem portans præſentem futurum pulverem; ſed in fanaticam miſeram oſtentationem. Vernaculè. *Laſtimable es en el mundo, el engaño mayor en el deſengaño.* Nota in templo inſignem hypocritam, cui Vates Evangelicus dixit: *Quid tu hìc? aut quaſi quis hìc?* Intùs Nero, foris Cato, uti nitor bractearum in idolo? *Excidiſti tibi hìc ſepulchrum.* Memoriam mortis excitare, haud reprehenſibile: & carpitur ſugillatim uti hypocrita; quia non memoria cineris, ſed apparentia. Sepulchrum extruxit quaſi quid ad virtutem ibi fulgeret. Verùm quid? Totum utique ex faſtu nihil eſt: igitur ſepulchrum extruxit ibi, quod debebat eſſe in capite ad mortis memoriam, & plenam vitiorum reſipiſcentiam. Quid, quòd ſepulchrum in pulveris memoriam erigatur, ubi cognitio memoriam obliviſcitur? Pro *Sepulchrum excidiſti*, Maluenda legit: *Scenam.* Ela-

Fontes memoriæ, & oblivionis.

Plin.

Quibus pulvis vanitatis gloriatio, ſed non confuſio?

Iſai. 22. 16.

Non eſt mortis memoria, ſed apparentia.

Maluend.

Elaboratur ſepulchrum à viventibus vi cognitionis, in recordationem mortalitatis; ne perperàm operentur in curſu vitæ, quæ facta nollent in morte: & quæ erecta ſepultura, ut cognitionis ludibrium, iurè dicitur ſcena; quippe reſibile, ibi habere coram oculis mortalitatis ſpecimen, tantùm in oſtentationem.

9 Idem modò nugaces homines faciunt. Se ne cognoſcant cognoſcunt; igitur in die Cinerum, non in pudorem, ſed dumtaxàt in apparentiam oſtendunt. Ingeritur memoria in oblivioſum illecebris cor; ut ſciant gentes, quoniam homines ſunt. Quænam ex ritu utilitas? Ex conditionis vanitate vanitas: igitur in infelicitate denuncianda, ex qua cordolium; apparent ſicut Saul pulvere conſperſus caput. In recordatione fugit memoria, atque memoriæ mortalitatis momenta. Adeſt cinis, ſed quid prodeſt? Quid tu hìc, aut quaſi quis hìc? *Poſuerunt ſigna ſua, ſigna* (& gloriati ſunt) *& non cognoverunt ſicut in exitu ſuper ſummum.* Signa Dei in excitamen ſtertentis rationis, per mortis adventum, expromit cinis: & in ipſa cognitione non eſt conditionis intelligentia; quia ſigna Dei deportant ut ſua ſigna: quandoquidem qui contra luxum & faſtum inſtituitur pulvis; erigitur in ſignum ac fomitem vanitatis. Pulverem ſe cognoſcunt, ſed non ut decet; quippe memoria in oblivionem tranſit. Eſt cognitio, verùm non ſicut in exitu: equidem cùm tunc obvient commiſſa crimina (quæ compeſceret mortis memoria) in exitu vitæ quantum periculum cognitum; exitum non meditari, & ante futurum exitum. Pende: *In exitu ſuper ſummum.* Summum, à quo æternitatis momentum, de quo infrà à *n.* 14. igitur faciet & perficiet, ubi mortis recordatio, quod vellet factum in exitu. *Omnes homines arbitror oportere* (inquit Plin. *lib.* 4. *Epiſt.* 3.) *aut immortalitatem ſuam, aut mortalitatem cogitare.* Utrumque, etſi contrarium, cogitationi objicit; ut ex defectu indeclinabili, ex cadavere nempè, vitam conſideret; quoniam vitam conſequetur, quamvis moriatur: etenim perperàm immortalitati ſtudet, ni mortalitatem cogitet.

Et ex memoria vulnera.

Pſal. 73. 5.

Morte appropinquante cognita.

Plin.

Funeris & nigra præcedant nubila mortis:
Muneraque in cineres annis graviora ferantur.

Stat. 6. Theb. à v. 73.

10 De apparatu in ſolemniore pompa Babylonici Caliphæ, ex Beniamin Tudelenſ. refert Maluend. 3. de *Anti-Chriſt.* cap. 20. *Veſtimentis auro & argento contextis indutus, caput cidari ornatus, incomparabilis pretij lapidibus ſplendens: ſuper cidarim verò nigrum ſudarium geſtat: quo geſtamine ſæculi huius verecundiam profitetur, q. d. Hanc maximam, quam conſpicitis, amplitudinem, tenebræ obſcurabunt in die mortis.* Gloriæ temporalis apparet ſpecies, ſed cognoſcitur quàm futilis, per appoſitum ſudarium, velum ſeu ferale amiculum; eò quòd hominem debet portare memoria, ut immortalitas oriatur ex ſepultura: equidem per mortalitatis inſitæ recordationem, pervenit gloria uſque in immortalitatem. Portatur in capite, ut funeſtum cognoſcatur: & quod eminet pulchrum, ut mortale denotetur; & fiat recordatio, in quid devenit faſcinans ſpecioſa pulchritudo: equidem dumtaxàt œſtrum ac fomes in vanitatem, dum cinis vel pulvis oſtenditur ad ſpeciem; quippe (maximè fœminæ, infatuatæ pulchritudine) non habent ut cognoſcant, ſed ut appareant; quod quidem ex gratiæ futilitate dandum pudori: quandoquidem in illis commendabilior ſpecioſitatis gratia, ſpecies & apparentia

Maluend.

In ampliore Caliphæ pompa velū nigrum.

Vana fœminarū pulchritudo.

Forma bonum fragile.

Ovid. 2. de Art. v. 113.

Illinunt certè alijs aliæ faciem fœminæ (ait Plin. *lib.* 22. *cap.* 1.) *glaſtum in Gallia vocatur* (apud Petr. Victor. *lib.* 19. *cap.* 10. *Lutum, gypſum*) *quo Britannorum coniuges nuruſque toto corpore oblitæ, quibuſdam in ſacris incedunt.* Egimus fusè, *Tom.* 5. *T.* 10. *n.* 13. Ovid. 1. de *Remed.* v. 355. ſuccinit:

Plin.

Compoſitis intingunt ora venenis.

Ovid.

Dum faciem ſine velamine oſtentant, venena propinant; quin hominibus cognitum quòd ſtellati ſeductione adorent glaſtum & lutum. Nimis næ credunt colori, & decipiuntur ſpecie: igitur dum magis picturatæ in formæ venuſtiorem elegantiam; advocant in faſtidium reſipiſcentiam: præ ſe ferunt tunc quod futuræ ætate, languore, morte: quandoquidem iactabundæ proſtituentes venuſtatem, in gratiam oſtentant pulverem. *Mortuo homine alicuius momenti, omnes fœminæ illius familiæ, caput & vultum oblinunt luto.* Morte viſà immutatur forma. Sunt quod erunt: *Cùm venerit dies ille* (ſubdit Senec. *Epiſt.* 102.) *qui mixtum hoc divini humanique ſecernat; corpus hoc, ubi inveni, relinquam.* At quomodo?

Et pulvis eximia ſpecies.

Herodot.

Senec.

11. *Apud Æthiopes ſepulchra è vitro conſtructa in hunc modum. Mortuum gypſo inducunt* (refert Herodotus, *lib.* 3. *n.* 9.) *picturàque exornantes, repræſentant quoad fieri poteſt, effigiem eius: deinde cippum ei cavum è vitro circundant; in cuius medio mortuus interlucet.* Idem obſervarunt Diodor. Sicul. *lib.* 4. *cap.* 1. Strab. *lib.* 17. *num.* 80. & Alex. Neapolit. *lib.* 5. *cap.* 10. Etiam picturà decoratur cadaver; ut cadaver cognoſcatur, etiam vità florente: equidem ſpectabilior pulchritudinis forma, nil aliud niſi cadaveris ſpecioſa pictura. Olim etiam mos Hebræis, collocare cadavera in hortis. Venuſtas vel florens eximiè, cadit, & cadaver in viridario ſitum conſtituit; quoniam venuſtior forma ca-

Herodot.

Pictura pulveris.

4. Reg. 21. 18.

cadaveris præfertur ſpecies, colore nitido floris. Adonia feſta florum erant: tuncque fœminæ *feretris cadaverum ſimulacra imponebant*: ait Chartar. de *Imagin. Deor.* pag. 352. Ludus eſt florum & cadaverum, ne ſpecies ſit in cordaiiſi: equidem nec vulnus quidem crebris ſagittis in ſcopum cordis; modò forma ut cadaver ducatur in flore ætatis. *Romanæ fœminæ* (inquit Valer. Maxim. *lib.* 2. cap. 1. n. 5.) *ut formam ſuam concinniorem efficerent; ſumma cum diligentia, capillos cinere rutilarunt.* Altiori prorsùm ſenſu exponendus ſtudioſus in decorem cultus; ut valeat virtus, infectâ ſiccine comâ, dum per capillos cogitationum ſeries ſignificata: igitur commendabilior fœminarum pulchritudo, ubi cineri hæret vagabunda cogitatio. Noſtrates: *La hermoſura merece maior aplauſo, quando ſe tiene el penſamiento en el polvo.* Ideo encomia fugit Sponſa, dum plaudentibus ſtudioſè vertit terga. In amœnitatem oculorum ad illam tenditur vox: *Revertere, revertere Sulamitis: Revertere, revertere, ut intueamur te.* Sponſam ſe, Numini dicatam, cognoſcit, quæ pulchra, dum plauditur præ pulchritudine, fugit. Formam nequaquàm reſpicit, ac ſpectatores feſtinanter fugit; quia quam extollebant mirabilem pulchritudinem, novit pulveris entitatem, vivique cadaveris aſcititium ac refulgentem colorem.

Et ſpecie floris, cinis.

Valer. Max.

Cineris cogitatio venuſtatis pulchritudo.

Cant. 6. 12.

12 Docuit fuga, quid ſit vel elegans forma: & non revertitur, ubi in aſpectus mulcimina corditùs acclamatur; quoniam pulchritudo ita levi tempore defloret, ſic perniciter maſceſcit; ut quæ fugiens pulchra plauditur, non reverteretur pulchra, ſi reverteretur. Decens elegantia facies vitiatur horis.

Exigui donum breve temporis.

Ut ait Tragœdus in *Hippolyt.* v. 759. Sic pretioſa cogitatio, ut inferatur mortalitate conſideratâ, cœlo: igitur mens effodit theſaurum, cùm invenerit ſepulchrum. Pretioſiſsima congeſsit Salomon in monumento Davidis (de quo Ioſeph. 16. *Antiquit.* cap. 11. & nos, *Tom.* 2. *T.* 7. *n.* 7.) Non ita impegiſſet, ſi patrem in pulvere iacentem conſideraſſet: igitur grandem ad vitiorum reſipiſcentiam inveniſſet theſaurum, modò in vitæ correctionem reſpexiſſet monumentum. De oleo Medico, ait Solin. *cap.* 24. *Hoc ad incendium excitatum, ſi obruere aquâ geſtias; ardet magis: nec alio ſopitur, quàm iactu pulveris.* Incendia maiora fomite carnis excitat prava ſine freno luxuria: multoties aquâ in refrigerium gliſcunt incendia: compeſcitur, quinimò ſopitur flammâ, contemplatione cadaveris, ac meditatione pulveris. De quadam natione refert Plin. *lib.* 7. *cap.* 2. in iuventute caneſcere. Si cani ſunt ſenſus hominis, hoc contigit iuvenibus conſideratione cineris: igitur qui præ viridi ætate agitantur aſſultu continuo cogitationum; prolapſi in Venerem, conſideratione mortis, redeunt in ſaniorem ſenſum. Incendia ſunt iniuriæ acceptæ impellentes in ſolatium vindictæ. Sopiuntur. Proſpectus mortis præſens medicamen vulneris. Inter ſacra ſolemnius habebant Ægypti cadavera fato functorum coràm exponere, quin niſi ſolutis debitis poſsint ſepulturæ tradi; tuncque dari corpora in pignus creditori: at poſteros ſumma ſequebatur infamia, ni obæratos redimerent, ut poſt mortem fœnoris ſolutione, vel remiſsione gauderent. Herodot. *lib.* 2. à *n.* 23. & Kircher. 1. p. *Oedip. Copt.* Syntagm. 2. cap. 2. Quod apud illos cum cadaveribus, debet apud Chriſticolas fieri cum animabus; quæ purgatorij vehementi vexantur pœnâ, propter debita contracta: etenim iurè infamiam & ſummam contrahunt; qui eas à pœnis orationibus non redimunt, conniventes acre perpeti tormentum, ſub poteſtate exactorum. Ita cadaveribus expoſitis, ſimulque relatis (ſi quas fecerant) iniurijs, iacebant corpora ſine ſepultura: ſed numquàm in creditoribus viſum, quòd illis ſuſpenderetur tradi in ſepulchrum, quantumvis æs fuiſſet grave, atque graviores offenſæ: equidem viſâ proximi morte, coràm cadavere, & remittebantur debita, & ab offenſo indulgebatur iniuria.

Quàm fragilis formæ ſpecies!

Senec.

Sepulchri correctio errorum, ſo ſſaque cri minum.

Solin.

Conditio olei Medici. Moritur luxuria mortis memoriâ

Et indulgetur iniuria.

Conſociare motus potuere recepta,
Cuius rei ſimulacrum & imago
Ante oculos verſatur & inſtat,
Diſsidijs exercitacrebris.

Lucret. 2. à v. 110.

13 Sunt nonnulla corda, iniurijs acceptis, inſtar vitri inflexibilia: priùs frangentur, quàm in veniam uti indocilia flectantur. *Si cineres vitri mittantur in acetum, vitrumque maceretur* (inquit Eberhard. Vveihe, de *Specul.* n. 24.) *plicabile ac ductile fieri.* Renuitur reconciliatio inter hoſtes, quouſque corda macerentur aceto viſi cadaveris, & horrore cineris. Molle fit, quod pridem inflexibile cor: equidem nullius rationalis ita durum, ut non flectatur in veniam iniuriarum; cùm videat proximi cinerem, & inſtare ſibi mortem, ne pereat erga ſe indulgentiæ gratia, modò non remiſerit univerſa debita: igitur ſibi dulce refrigerium, quod alij ſubſidium. Patuit in Chriſto pendente in cruce, ac inimicis parcenti. *Nondum venit hora mea*: dixit ille Matri, ut frigiditas aquæ cordium converteretur in vinum. In cruce venit hora, tuncque locutus ex cathedra, uti obſervat Auguſtin. in *Ioann.* Tract. 119. Neſcio an hoccine intuitu pictum ſepulchrum

Vveih.

Quomodò flexibile vitrū?

Ioann. 2. 4.

In ſepulchro olim picta auricula.

cum auricula (adi Octav. Strada, Tom. 1. *Symbol.*) ut audiat quid ex cruce loquatur Dominus, ubi in vindictam indocile pectus. Malignitas Synagogæ Salvatoris gratias ulta eſt, & protervè quaſi iniurias. Haud quievit, quouſque ut moreretur in crucem ſuſtulit: ibi cadaver apparuit. Flectuntur corda? *Omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua, revertebantur.* Pectus percutitur, quod pridem acriter iraſcebatur? Vidit cadaver: & quod indocile flectitur; quippe morte ante oculos, & morte proximi viſà, iniuriarum nec memoria. Cor molleſcit, dum mortem vidit, duritiem in pœnitudinem flectit: & relictâ acerbitate, ut cordolium oſtendatur; etiam pectus præ dolore percutitur. Hæc Chriſtus è cathedra docet, ut dum horam mortis oſtendit, convertat in vini dulcedinem, cordis protervi frigiditatem: quandoquidem non cognoſcitur animarum periculum, ſicut in exitu ſuper ſummum.

Luc. 23. 48.

Cor iniuriæ pœnitet, dum hoſtis cadaver videt.

14 Summum ergo tunc in hominis anguſtia eſt vel mors, vel vita æterna. Hinc angor, hinc ſolicitudo, quia cuncta momenta ab huiuſmodi momento, quo anima extremas patitur pœnas, & debet florere proximorum charitas; quin in articulo, homine præ vulneribus criminum ſemimortuo, adinſtar illius inhumani ſacerdotis prætereat, & ſicut Levita ſine ſolatio pertranſeat. In Chriſti agone, cùm præ illo copioſè ſudaret ſanguine; *apparuit illi Angelus de cœlo, confortans eum ::. & cùm veniſſet ad diſcipulos, invenit eos dormientes.* Angelus & de cœlo: etenim ſine divinæ clementiæ de cœlo auxilio; illâ horâ quid valet homo? Chriſtus Princeps Supremus erat, & ante certamen Angelus de cœlo confortat. Videtur conditionis illo in articulo fragilitas: equidem ubi adeſt ad certamen mortalis humanitas; parvi momenti ſanè ſuprema maieſtas. Ampliore energiâ vernaculâ linguâ: *Si ſon hombres, importan en aquel tiempo muy poco las Mageſtades.* Angebatur Chriſtus quaſi agonizans in certamine, obijciente imaginatione cuncta crimina mundi; ac mœrorem ingerente cogitatione exeundi de vita, per acriora diræ crucis tormenta: pluſque, quòd cùm tot labores gravarent, qui magis dignati in utramque aurem dormirent. Hoc premit, hoc magis in cruciamine torquet: igitur Angeli deſcendentis de cœlo, vigilem experitur ſolicitudinem; & hominem tanto in labore dormientem. Tunc factus in agonia: igitur intenſior pœna, videre dormientem hominem, aliquando guſtaturum amaritudinis calicem: placidèque vivere mulcimine quietis, cùm Chriſto articulus ſteterit ſudore ſanguinis. Elucet vigilantia Angeli Cuſtodis, illa in hora toto anniſu afflictum hominem confortantis; quia nimis diligit, & ut quieſcat vexatus, minimè quieſcit.

Quanta cura à charitate, in auxiliū morituri!

Ib. cap. 22. 43. & 45.

Nil tunc homo, ſine Dei auxilio.

Periculum, & angor.

Quanta tunc vigilia Cuſtodis Angeli!

15 Ritus celebris apud Sinas, recipiendi Legatos. In gutture vaſti enormis ærei ſerpentis Rex egreditur (qui nequaquàm ſuſpicitur) ſed recedit, ſi legatio diſplicet. Si gratum nuncium, è voragine ſerpentis exit lætus in Legati amplexum. Refert Hieronym. Roman, in *Republ. Sinar.* cap. 12. Cuſtos noſter, individuus comes, procurator noſtræ ſalutis, legatus in vita mittitur; ut anima fauſtè ex habitatione corporis egrediatur, & ſecum ducat in patriam, maximè relicto ſerpente criminum per pœnitentiam: equidem nequaquàm obliviſcitur amoris; etſi animam viderit intra fauces ſerpentis. Peccatori impœnitenti non placet exitus; quippe à diabolo occupatus, quin malè exire ex mundo, ſeriò cogitet, ne priùs de ſerpente exierit. Vocantem in reſipiſcentiam Cuſtodem audit; ſed quia diſplicet, interiùs ſecedit, adhuc perſeverante in ſalutem Angeli ſolicitudine, ut eruat ſocium ex poteſtate diaboli, impœnitentem alliciens in pœnitentiam; ut cordis dolore exiens conſequatur gratiam; quin deſiſtat à conamine, quantumvis animam videat intra guttura inferni. Imitantur homines officia Cuſtodis cœleſtis, dum pro animarum ſalute aſsiſtunt vigilanter moribundis. Sudat infirmus præ agone, dubio certamine: magiſque afflictum ex articulo affligit; ſi defuerit qui confortet: etenim charitate vulneratâ triſtis prorsùm agonia; quòd iacens ſudet præ vexatione ſanguine, & alij tradantur ſuavitati ſomni: quòd negligant in articulo proximum, eundem ſubituri articulum. Conſideretur angor, ut ſummè clareat charitatis nitor: equidem dum horâ illâ ſolicitatur animæ in cœlum profectus; qui confortat, non homo, ſed humanus Angelus, proximi cuſtos.

Ritus Sinarū, in recipiēdis Legatis.

In agone hominis ſūma diligentia Cuſtodis Angeli.

Eius officium accipit, qui moribūdis aſsiſtit.

16 Harpocratis inter Ægyptios ornabatur imago papaveribus, flammis, ſagittis, atque figurâ ſerpentis. Quorsùm huiuſmodi inſignia? Indicatur, in mortem quæ nanciſcenda ſapientia. *Papavera præfert cum face accenſa* (interpretatur Kircher in *Obeliſc. Pamph.* lib. 4. *Hierogrammatiſm.* 10.) *quia ſapiens maximè in mortis (quæ per papavera ſignatur, & in ſupernarum rerum altiſsimarumque, per facem accenſam indicatarum) meditatione verſari debet. Pharetra poſt tergum; quia amori rerum terrenarum ante omnia abrenunciare debet: & corruptionem obnoxiarum, per ſerpentis ſymbolum, penitus obliviſci.* Hoc opus & labor, ſed neceſſarium

Imago Harpocratis.

Kircher.

In morte vigilet homo.

rium opus: igitur præ inimicorum vafritie (momento ſalutis animæ) oculorum ſapientis ſummæ curæ; nequando obdormiant in morte. Euripid. in *Supplic*. v. 532.

Euripid.

Homo venit in corpus: corpus in terram:
Haud enim poſsidemus illud,
Niſi ad incolendam vitam.

Singulare monſtrum.

Galtruch.

Non eſt fatum.

17 Singulare monſtrum refertur ab Henric. Gandavenſ. *Quodlib.* 6. cap. 14. cuius etiam meminit Galtruchius in *Phyſic. particular.* Tract. 3. cap. 2. *Monſtrum* (infit) *in quo capita & ſuperiores partes diſcretæ erant; inferiores autem copulatæ. Bina capita inter ſe perpetuis odijs diſsidebant, ſemperque appetebant contraria.* Unde aſtruent ſtellis fatum, qui uſque in liberum arbitrium dominationem extendunt? Idem hic patet horoſcopus, idem in ortum Signorum & Planetarum aſpectus; & utriuſque genius omninò contrarius. Agimus in *Ephemer.* Prolog. galeat. §. 3. n. 4. Hoc utique monſtrum cum unoquoque natum, appetitu ſenſibili & rationali.

Galat. 5. 17.

Carnis & ſpiritus continua pugna.

Caro concupiſcit adverſus ſpiritum: ſpiritus autem adverſus carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur. In nobis ipſis gerimus, unde certamina toleramus. *Hæc quæ vides oſſa circumvoluta nervis* (ait Cordubenſis, *Ad Marcian*, cap. 24.) *vincula animorum tenebræque ſunt. Obruitur his animus, offuſcatur, inficitur, arcetur à veris & ſuis, in falſa coniectus. Omne illi cum hac carne certamen eſt.* Unde Thyeſtes apud illum in *Tragœd.* à v. 260. ſuccinit:

Senec.

Idem.

Pectora attonitus quatit,
Penituſque voluit. Rapior, & quò neſcio,
Sed rapior.

Copioſa ſeges argumenti vel apud Ethnicos; quippe omnes certamen ſuſtinuerunt paſsionum. Videſis Ovid. 2. *Amor.* Eleg. 4. v. 6. 3. *Eleg.* 3. v. 33. & 7. *Metam.* fab. 1. Claudian. 4. *Conſul. Honor.* v. 260. Statium, 1. *Achill.* v. 269. Virgil. *Eclog.* 4. v. 31. 4. *Æneid.* v. 285. & Plaut. *Ciſtellar.* Act. 2. ſcen. 1. à v. 7. Huiuſmodi pugna in homine toto vitæ tempore. Invigilandum ergo maximè ad exitum vitæ; donec à vita abſorbeatur quod mortale; & dono gratiæ cœleſtis, vita Ieſu manifeſtetur in nobis.

18 Opus vergit in occaſum. Præcipienti verè dicam: Opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam. Solus cogitavi, ſcripſi, feci, perfeci propoſitum. At non ego ſolus, ſed & gratia Dei mecum: ſine qua conatus difficilis, tot volvere caſus, tot ſubire labores. Attigi metam Dei gratiâ. Sit Benedictus in ſæcula. Tautologiarum ſacrarum certamen certavi. Utinam bonum! Curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo; quid? Venit hora, & nunc eſt? Deus ſcit. Paratum cor meum, paratum. Utinam præparatum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei. Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Mirùm non ſit: ultra climatericum ſum. Extremam manum tabulæ impoſui, & extraxi, anno ætatis ſexageſimo ſexto. At tempus non erit amplius? Si fuerit (ægra, haud valida valetudo) dicam ex Virgilio 7. *Æneid.* v. 44.

—— Maior rerum mihi naſcitur ordo: Virgil.
Maius opus moveo.

Adhuc adverſaria turgida, promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud. Vita comite conſulam, colligere fragmenta, ne pereant. Plura itaque ſunt ad manum, & penè ad umbilicum. Exibunt dato tempore, limà temporis. Erit mihi, menti, cordi gloria maxima & eximia; ſi in cunctis & ex cunctis.

Soli Deo honor & gloria.

Finis Tomi Octavi.

TESTIMONIA EXCERPTA E REGULA

S. P. N. BENEDICTI.

PRolog. *Quiſquis abrenuncians proprijs voluptatibus, Domino Chriſto, vero Regi, militaturus, obedientiæ fortiſsima atque præclara arma aſſumis.* T. 6. D. 6. n. 3. *Non ſolùm ut iratus pater ſuos non aliquando filios exhæredet; ſed nec ut metuendus dominus, irritatus malis noſtris, ut nequiſsimus ſervos perpetuam tradat ad pœnam, qui eum ſequi noluerint ad gloriam.* T. 12. D. 4. num. 2. *Ideo nobis propter emendationem malorum huius vitæ dies ad inducias relaxantur.* Ibid. & T. 2. D. 2. n. 20. *Dum adhuc vacat, & in hoc corpore ſumus, & per hanc lucis vitam vacat implere; currendum & agendum eſt modò.* T. 12. D. 4. n. 10.

Cap. 1. *Adhuc operibus ſervantes ſæculo fidem; mentiri Deo per tonſuram noſcuntur. Qui bini aut terni, aut certè ſinguli, ſine paſtore, non Dominicis, ſed ſuis incluſi ovilibus; pro lege eis eſt deſideriorum voluptas: cum quicquid putaverint vel elegerint; hoc dicunt ſanctum: & quod noluerint, hoc putant non licere.* T. 5. D. 2. num. 5. D. 4. num. 10. T. 8. E. 2. num. 17. D. 1. num. 6. *Cœnobitarum fortiſsimum genus.* Ibid. num. 1.

Cap. 2. *Miſcens temporibus tempora.* T. 8. D. 6. num. 17. *Secundum uniuſcuiuſque qualitatem vel intelligentiam ita ſe omnibus conformet & aptet; ut non ſolùm detrimenta gregis ſibi commiſsi, non patiatur; verùm etiam in augmentatione boni gregis gaudeat.* T. 8. E. n. 5. D. 3. num. 14. *Sciatque, quia ſuſcepit animas regendas; & præparet ſe ad rationem reddendam: & quantum ſub cura ſua fratrum ſe habere ſcierit numerum; agnoſcat pro certo, quia in die iudicij ipſarum omnium animarum eſt redditurus Domino rationem.* T. 8. E. num. 5. *Ita timens ſemper futuram diſcuſsionem paſtoris de creditis ovibus; cùm de alienis ratiocinijs cavet, redditur de ſuis ſolicitus.* Ibid. *Cùm de admonitionibus ſuis emendationem alijs ſubminiſtrat; ipſe efficitur à vitijs emendatus.* T. 7. D. 2. num. 5.

Cap. 4. *Delicias non amplecti.* T. 4. D. 4. num. 5. & 20. *A ſæculi actibus ſe facere alienum.* T. 1. D. 5. num. 12. T. 5. D. 2. num. 5. *Iracundiæ tempus non reſervare.* T. 2. D. 5. num. 8. *Pacem falſam non dare.* Ibid. & T. 6. E. num. 28. *Mortem quotidie ante oculos ſuſpectam habere.* T. 12. D. 6. num. 5. *Deſideria carnis non perficere.* T. 4. D. 4 num. 20. *Non velle dici ſanctum antequàm ſit; ſed priùs eſſe, ut veriùs dicatur.* T. 5. D. 4 num. 2. *Caſtitatem amare.* T. 4. D. 4. num. 20. *Elationem & iactantiam fugere.* T. 3. D. 6. num. 5.

Cap. 7. *Sunt viæ quæ videntur hominibus rectæ, quarum finis uſque ad profundum inferni demergit.* T. 12. D. 3. num. 10. *Mors ſecus introitum delectationis poſita eſt.* D. 6. num. 5. *Si in ipſa obedientia duris & contrarijs rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis iniurijs, tacità conſcientià patientiam amplectatur.* T. 8. D. 1. num. 12. *Oſtendens fidelem pro Domino univerſa, etiam contraria, ſuſtinere debere; dicit ex perſona ſufferentium: Propter te morte afficimur totâ die: æſtimati ſumus ut oves occiſionis.* Ibid.

Cap. 21. *Non eligantur per ordinem, ſed ſecundum vitæ meritum*, &c. T. 9. D. 5. num. 13.

Cap. 41. *Sic omnia temperet atque diſponat, qualiter animæ ſalventur; & quod faciunt fratres, abſque ulla murmuratione faciant.* T. 10. D. 2. n. 5.

Cap. 53. *Pacis oſculum non priùs offeratur, niſi oratione præmiſsà; propter illuſiones diabolicas.* T. 8. D. 1. num. 4. *Domus Dei à ſapientibus ſapienter adminiſtretur.* D. 6. num. 3.

Cap. 63. *Non conturbet gregem ſibi commiſſum, nec quaſi liberà utens poteſtate, iniuſtè diſponat aliquid*, &c. T. 8. D. 2. num. 6. T. 10. D. 2. num. 1. *Non ſua aſſumptione, ſed honore & amore Chriſti. Ipſe autem cogitet & ſic ſe exhibeat, ut dignus ſit tali honore.* T. 8. D. 2. n. 1.

Cap. 64. *Non ſit turbulentus & anxius; non ſit nimius, & obſtinatus, non ſit zelotypus & nimis ſuſpicioſus; quia nunquàm requieſcet.* T. 5. D. 3. n. 7.

Cap. 65. *Aſſumentes ſibi tyrannidem.* T. 9. D. 2. num. 5. *Hinc ſuſcitantur invidiæ, rixæ, diſſenſiones & inordinationes.* T. 9. D. 3. num. 5. *Dum contraria ſibi*